

DE DONATIONIBUS.

8.54.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Lucio.

Emissionum mancipiorum instrumentis donatis et traditis et ipsorum mancipiorum traditionem factam intellegis: et ideo potes adversus donatorem in rem actionem exercere.

PP. V k. Iul. Faustino et Rufino consss.

[a. 210]

8.54.2

Imp. Gordianus A. Leonidi.

Si nominis persecutionem in te emancipatam pater tuus titulo donationis transtulit, frustra praetendit, qui debitori tuo heres extitit, consensum fuisse debitoris necessarium, cum satis fuerit actiones eo nomine tibi mandatas fuisse.

PP. II id. Mart. Gordiano A. II et Pompeiano consss.

[a. 241]

8.54.3

Imp. Decius A. Marcellino.

Spem futurae actionis plena intercedente donatoris voluntate posse transferri non immerito placuit.

PP. non. Mart. Decio A. II et Grato consss.

[a. 250]

8.54.4

Imp. Probus A. Massiciae.

Si functiones per eum, cui donata res non erat, vel ab actoribus ipsius nomine celebratae sunt, tibi obesse non potest.

PP. V k. Ian. Messala et Grato consss.

[a. 280]

8.54.5

Impp. Carus Carinus et Numerianus AAA. Flacconillae.

Si donatio per epistulam facta non paret, verba tamen testamenti, quibus liberalitas testatrixis confirmata est, fideicommissum continere non ambigitur.

PP. VI k. Febr. Romae Carino II et Numeriano AA. consss.

[a. 284]